

simpliciter dicatur resurgere idem homo, non requiri, quod redeat unio eadem numero, dummodo idem sit corpus eademque anima. Sic etiam aqua, licet mutet uniones continuativas, ut si dividatur, et iterum continuetur, non evadit simpliciter alia.

«Concedo igitur, posse Deum se solo conservare ignem eundem simpliciter, qui ab alio igne productus est, non tamen eumde metiam secundum quid et undequaque; non enim conservare potest eandem unionem, cum hæc probeatur essentialiter pendens a causa creata. Qua in re nullum est absurdum, cum omnes concedant, non posse Deum se solo producere effectus modales essentialiter a causa creata dependentes; quia ad omnipotentiam Dei non pertinet evertere rerum essentias. Deus ergo conservare poterit ignem illum invariatum, quatenus est effectus absolutus: sed non ita potest, quatenus ille ignis includit modalitatem essentialiter ortam ab alio igne. Admitto pariter diversitatem unionis specificam ex diversitate educationis, non quidem formalem, sed pure materialiam in ordine ad munus uniendi et constituendi compositum: non enim actio Dei solius (quam suppono eductivam) diversa foret ab actione ignis sub conceptu passionis aut receptionis, qui solus unionem imbibit, quique solum specificatur a subjecto et forma recepta; sed tantum sub conceptu egressionis a principio activo, qui conceptus quasi de materiali se habet ad munus uniendi seu constituendi compositum. Sed quomodolibet appelletur ea diversitas, nunquam erit simpliciter talis respectu compositi, sed semper secundum quid. Nego autem, quod nova Dei actio conservativa sit prima productio ignis, quamvis revera sit productio unionis tunc adveniens: non enim esse potest prima productio respectu illius termini, qui jam existebat simpliciter idem in instanti antecedenti. Nec unio tunc adveniens est ultimum determinativum, ut ille ignis simpliciter incipiat existere, sed solum ut existere pergat. Sic productio novæ unionis inter corpus et animam hominis mortui, non dicitur prima hominis productio, sed reproductio aut resurrectio» (1).

(1) Lössada, loc. cit. cap. 4, num. 14-17.

δ) Eductio est modus accidentalis. Unio autem materiæ et formæ substantialis est. Ergo nequit utraque identificari. Major porro probatur, tum quia actio pertinet ad prædicamentum accidentis, tum quia non existit propter se, sed propter aliud, scilicet propter terminum.

Cui argumento respondent adversarii, *negando* Majorem, si sermo sit de formæ substantialis educatione. Nec deterrentur adjectis probationibus: non prima, quia non vetat, quominus entitas in se substantialis possit ad prædicamentum accidentis spectare, ut constat v. g. in *habitu*, et in quibusdam etiam relationibus secundum doctrinam in *Ontologia* (1) traditam admissamque a multis assertoribus contrariæ hac in re sententiæ. Non secunda, nam forma etiam est propter compositum, et nihilominus substantia est (2).

Harum opinionum eligat prudens lector, quæ sibi magis arrideat. Mihi probabilior videtur illa, quæ negat educationem passivam ab unione realiter distingui; quia rationes, quibus fulcitur, difficiliorum admittunt solutionem. Aliunde etiam clarius in ea intelligitur, quomodo forma non prius sit, vel fiat, quam ipsum compositum.

ARTICULUS VII.

De composito substantiali corporeo seu corpore naturali.

176. Explicatis singillatim partibus substantialibus corporis, restat ut pauca dicamus de ipso toto, quod exinde coalescit, et vocari solet corpus naturale, vel compositum substantiale. Totum, quemadmodum constat ex dictis in *Logica Minori* (3), quintuplex potest esse: essentialia, sive physicum sive metaphysicum, integrale, potestativum et logicum vel potentiale. Totum logicum est idea universalis: totum potestativum est quævis res relate ad suas potentias et facultates: de quibus non est nobis nunc

(1) Vide num. 336, pag. 987, collat. cum num. 340, pag. 1003.

(2) Vide Lössada, loc. cit. n. 20, apud quem plura videri possunt. Cfr. De Benedictis.

(3) *Logic. Minor.* n. 82, 83, pag. 215 seqq.

argumentum
quartum.

responsio.

Judicium
Auctoris.

Quotuplex
totum.

Totum
substantiale
est corpus:

sermo, quia agimus de toto substantiali, quod dicunt corpus *naturale* vel *physicum*, ad differentiam corporis *mathematici*, quod est quantitas, et *artificialis*, quod est opificium arte factum. In hoc ergo toto substantiali physico, quod vocatur corpus naturale, duplex totalitas substantialis spectari potest, *integralis* et *essentialis*: prima exurgit ex partibus integrantibus, altera ex essentialibus sive physicis, quales sunt materia et forma, quæ constituunt simul cum unione totum essenziale physicum, sive metaphysicum, genere videlicet ac differentia, per ordinem ad quas idem totum physicum vocatur totum metaphysicum. Jam corpus naturale, quatenus est totum quoddam metaphysicum seu in ordine ad partes metaphysicas, definitur *substantia corporea*. Sed quia differentia hæc corporeitatis intelligi et declarari a nobis non potest, nisi afferendo ipsa principia vel partes physicas, quibus corpus naturale constituitur; ideo optima hæc est corporis generatim essentialis definitio, ut sit *substantia composita ex materia et forma*. Quid autem sit materia et forma abunde jam explicatum manet. Illa vero alia est descriptiva definitio, secundum quam corpus dici potest *substantia capax trine dimensionis, vel habens naturaliter molem seu extensionem*; desumitur enim ex proprietate illa quantitatis, quam naturaliter comitatur omne corpus, tribuens ipsi exigentiam collocandi partes suas, alias extra alias, in spatio. Quod corpus essentialiter constituitur ex materia et forma unitis, satis, puto, probatum est hactenus; illa enim ad essentiam rei pertinent, quibus positus habetur, quibus non positus nondum habetur essentia illius. Atqui tales sunt materia et forma earumque unio substantialis. Scotistæ nihilominus putant unionem non esse de essentia corporis, sed tantum conditionem simpliciter necessariam tam ad ejus constitutionem, quam conservationem (1).

Unum totum
substantiale re
distinguitur
a suis partibus

Illud jam in controversiam potissimum vocatur, utrum ad constituendum totum substantiale corporeum, aliquid amplius requiratur realiter distinctum a partibus componentibus earumque unione. Et quamvis questio agitari possit de toto

(1) Vide Mastrium, *Physic. disp. 5. quæst. 12. art. 2. n. 146* seqq.

ac partibus tum integralibus tum essentialibus physicis, potissimum tamen dubitatur de essentialibus; et sic dubitatur utrum tota substantia corporea præter materiam, formam et unionem aliquid amplius includat, vel utrum a materia et forma simul sumptis et unitis re distinguatur. *Simul sumptis et unitis*, inquam, nam compertum omnibus est compositum a singulis componentibus seorsim sumptis inadæquate distingui, sicut includens et inclusum. Questio porro est de toto substantiali, non prout suppositum est; nam distinctio suppositi a corporea substantia declarata manet ex disputatis in *Ontologia*; sed agitur de toto substantiali, quod sit essentia completa corporis in *esse* naturæ, et in hoc sensu investigatur, utrum integra quidditas vel essentia corporis distinguatur a materia et forma unitis. Totaque controversia revocatur ad totum per se; nam totum per accidens fatentur a suis partibus non distingui etiam illi, qui totum per se distinguunt, ut videre est apud Mastrium (1). In proposita ergo controversia celebris est Scotistarum (2) communis sententia tenens in composito physico substantiali, præter materiam et formam unitas ac simul sumptas, dari tertiam quamdam entitatem positivam realiter ab illis distinctam. Scotistis adherent quidam nobiles Thomistæ, ut Capreolus (3), Cajetanus (4), Ferrariensis (5), alique. Eandem sequitur e Nostris Fonseca (6), et in eandem inclinant Conimbricenses (7). Non convenit tamen apud Scotistas, utrum solum totum essenziale, an vero etiam integrale, a partibus simul sumptis et unitis distinguatur, aliis affirmantibus, negantibus aliis, ut videre est apud Mastrium (8), et Pontium (9). Contrariam

unitis vel simul
sumptis.

Opinio
Scotistarum

et quorundam
Thomistarum.

(1) *Physic. disp. 5. quæst. 13. n. 151* fin.

(2) Vide apud Mastrium (loc. nup. cit. quæst. 12. n. 151), Pontium (*Physic. disp. 6. quæst. 1. n. 3*), Frassen (*Physic. disp. 3. quæst. 1*).

(3) 3.^o dist. 2. art. 1.

(4) In 3.^o part. quæst. 6. art. 5. *Ad primam autem Durandi rationem*.

(5) *Physicor. lib. 1. quæst. 5; et in 4.^o lib. Contr. Gent. cap. 85.*

(6) *Metaphys. lib. 7. cap. 17. quæst. unie.*

(7) *Physicor. lib. 1. cap. 2. quæst. 1. art. 3.*

(8) Loc. cit. n. 151, et art. 2. a n. 176.

(9) Loc. cit. quæst. 2. n. 23 seqq.

Altera opinio
communior,
negans totum
a suis partibus
unitis realiter
distingui,

tuentur, ut omittam veteres Philosophi interpretes græcos (1), S. Thomas, Agidius Romanus, Durandus, Paludanus, Gregorius Ariminensis, cæterique e schola Nominalium (2), itemque Sotus (3), Complutenses (4), Joannes a S. Thoma (5), Goudin (6), et Roselli (7), cum communiori Thomistarum opinione; ac demum Nostrates communiter cum Eximio Doctore, Toletus (8) Rubio (9), Benedicto Pererio (10), Georgio Rhodes (11), De Benedictis (12), Hurtado (13), Soarez lusitano (14), Arriaga (15) Oviedo (16), Sylvestro Mauro (17), Antonio Bernaldo de Quiros (18), Semery (19), Antonio Mayr (20), Ludovico Lossada (21), Bartolomeo Amico (22) alisque: quæ doctrina communis videtur evasisse jam inde ab exeunte sæc. XVI extra scholam Scotistarum (23). Hanc alteram sententiam. probabiliorem reputamus. Sit itaque

(1) Apud Suarez (*Metaph.* disp. 36, sect. 3, n. 6), et Conimbricens. (loc. cit. art. 2).

(2) Apud Suarez et Conimbriconses.

(3) *Physicor.* super lib. 1.^{um}, quæst. 3, *concl.* 1.^a

(4) *Physic.* disp. 6, quæst. 4.

(5) *Physic.* quæst. 6, art. 2.

(6) *Physic.* 1 part., disp. 1, quæst. 4, art. 3.

(7) *Summ. philos.* tom. 2, quæst. 4, art. 1.

(8) *Physicor.* lib. 1, quæst. 8.

(9) *Physicor.* lib. 1, cap. 3, quæst. 1.

(10) *De Communib. omnium rerum* etc. lib. 7, a cap. 18, cap. 22

(11) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 1, quæst. 1.^a, sect. 6.

(12) *Philos. perip.* vol. 2, lib. 2, quæst. 3, cap. 5.

(13) *Physic.* disp. 6, sect. 1.

(14) *Physic.* tract. 1, disp. 7, sect. 1.

(15) *Physic.* disp. 5, sect. 1.

(16) *Physic.* contrav. 5, punct. 1.^o

(17) *Question. philos.* lib. 2, quæst. 11.

(18) *Physic.* tract. 3, disp. 49, sect. 2.

(19) *Trienn. philos.*, vol. 2, disp. 5, quæst. 4, art. 1.

(20) *Philos. perip.*, pars. 2.^a, disp. 1, quæst. 7, art. 5, a. n. 642.

(21) *Physic.*, tract. 1, disp. 7, cap. 1.

(22) *Physic.*, tract. 11, quæst. ult. dubit. 4.

(23) Immo vero P. Mayr arbitratu Doctorem Subtilem suam sententiam mutasse; nam in libro 1.^o *Physicor.*, quæst. 9, n. 4, hæc habet. *Nunc ponitur ista conclusio: Totum est suæ partes ita, quod omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum.* Notat autem Scotista P. Bonaventura Baro (in lib. 1.^o *Physicor.*, *apolog.* 9, act. 1, n. 1)

177. PROPOSITIO. Totum realiter non distinguitur a suis partibus unitis ac simul sumptis.

eligitur.

Hæc videtur esse manifesta doctrina S. Augustini, qui diserte docet *animam et corpus esse totum hominem* (1). Et alibi hæc scribit: *Hoc quidem verum est, quod non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est. Sed cum est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen* (2). His similia continentur in *Symbolo Athanasiano: Sicut anima rationalis et caro est unus homo, ita etc.*

Neque alia videtur mens S. Thomæ: *De humanitate, inquit, non est intelligendum, quod sit quedam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utraque; quia cum per formam et materiam fit hoc aliquid actu, ut dicitur 2.^o de Anima* (text. comm. 8), *illa tertia forma consequens non esset substantialis, sed accidentalis* (3). Ex quibus perspicuis verbis explicatur hoc aliud ejusdem S. Doctoris, quod quidam in contrarium objiciunt: *Oportet, quod omnia essentialia hominis in Christo fuerint, et corpus et anima vegetabilis, sensibilis et rationalis, et ulterius forma lotius resullans ex conjunctione corporis et animæ, quæ humanitas dicitur* (4).

Prob. 1.^o Si totum realiter distinguitur a partibus simul sumptis, vel distinguitur adæquate vel inadæquate. Atqui neutrum dici potest. Ergo...

et probatur.

Prob. Minor. per partes: α) non distinguitur adæquate. Nam quod adæquate distinguitur ab alio, non continet, nec includit illud in se, sed excludit; non enim dici potest, quod simpliciter præscindat ab eo in suo conceptu, siquidem id est

libros hos physicos a Scoto Parisiensi scriptos, esse posteriores ejusdem Doctoris scriptis jam Oxonii editis, in quibus communem Scotistarum tradere doctrinam videtur. Vide Mayr, loc. cit., n. 643; De Benedictis, loc. cit.

(1) Lib. 7 de *Trinit.*, cap. 4.

(2) S. August., de *Civitate Dei*, lib. 13, cap. ult. Cfr. ibid. lib. 9, cap. 3.

(3) S. Thom. 4.^o *Contr. Gent.*, cap. 81, *Quod vero secundo obijciatur...* Cfr. 4.^o dist. 44, quæst. 1, art. 1, solut. 2, ad 2.^{am}

(4) S. Thom. 3.^o dist. 2, quæst. 1, art. 3, solut. 1.^a Cfr. ibid. solut. 3. corp. et ad 3.^{am}

proprium dumtaxat eorum, quæ ratione discriminantur. Ergo si totum realiter distinguitur a partibus, non continet illas in se. Atqui intelligi non potest, quomodo totum non includat, sed excludat partes. Primo quia id omnes intelligunt nomine totius, quod ex partibus coalescit, in easque dividi potest: tum quia si totum excludit partes, simplex necessario erit, atque adeo jam corpus vel desinet esse compositum ex partibus, vel dicendum erit simplicem entitatem partes reales distinctas habere.

Prob. Minor quoad alterum membrum: β) *totum non distinguitur inadæquate a partibus*. Eatenus totum realiter inadæquate distinguitur a partibus, quatenus præter illas unitas ac simul sumptas tertiam aliquam realem entitatem realiter distinctam complectitur. Jam quæro, quid sit entitas illa tertia, totumne, an pars quædam, quæ simul cum aliis partibus, materia et forma, totum corpus constituat. Si unica illa entitas est totum, relinquatur totum a suis partibus simul sumptis adæquate distingui, quod falsum esse probavimus in priori membro. Si est pars: ergo in toto præter omnes partes simul sumptas adest quædam illa pars: quod implicat in terminis. Præterea de hac tertia entitate, quæ dicitur forma totius ac de partibus ejusdem simul sumptis inquiri, quomodo constituent totum, utrum ita ut totum realiter distinguitur a partibus ac tertia illa entitate, vel non. Si distinguitur, abibimus in infinitum: si non distinguitur, nulla est necessitas fingendi entitatem positivam præter partes compositi unitas ac simul sumptas ad constituendum totum. Nam sicut dicitur partes cum tertia hujusmodi entitate seipsis absque alia re superaddita conflare totum, eodem jure nos dicimus partes compositi, dummodo unionem habeant, nulla alia entitate indigere, ut exinde totum coalescat.

Prob. 2.^o Tertia illa entitas a materia et forma unitis ac simul sumptis distincta, vel est tota essentia compositi, vel pars dumtaxat. Si tota: ergo materia et forma non erunt de compositi essentia. Si pars: perperam statuitur totum distingui realiter a partibus: siquidem illa tertia entitas jam non esset totum ipsum substantiale nec forma vel modus totalitatis, sed solum una ex partibus, quæ duabus aliis juncta

totum constitueret. De quibus tribus partibus rursus possemus inquirere, num re distinguantur a toto, quod dicuntur constituere. Si distinguntur, abibitur in infinitum simili modo argumentandi. Si autem non distinguntur, sed se solis componunt totum, id ipsum æquo jure dicendum erit de sola materia et forma unitis.

Plura dabunt veteres scriptores, ac nominatim Lossada, qui solutiones his aliisque argumentis a Mastro datas perpendit, ac dissipat. Verum res videtur satis perpicua, nisi velimus voces ad alienam a vulgari sensu significationem detorquere.

Si jam quæras, an saltem per rationem distinguitur totum a partibus collectim sumptis; respondebo non distingui «propria et stricta distinctione rationis, sed tantum illa minus propria, quam vocant *penes implicitum et explicitum*, sive quæ datur inter definitionem et definitum, v. g. inter hominem et animal rationale. Ratio est: quia hic conceptus, *materia, forma et utriusque unio*, expresse ac distincte proponit totam essentiam physicam, quam confuse aut indistincte significat nomen, *compositum, vel totum substantiale*. Nec obstat, quod totum dicatur *resultare* ex partibus. Nam etiam cervus tritici *resultare* dicitur ex multis granis, ternarius ex tribus unitatibus, species ex genere et differentia, et calidum ex calore et subjecto, nec tamen in his stricta rationis distinctio datur. Illa igitur resultantia non probat verum aliquem effluxum totius ex collectione partium, sed unice distinctionem ex modo significandi, seu modum nostrum concipiendi totum instar effluentis» (1).

178. Objic. 1.^o «Omnis entitas realis realiter causata ab aliquibus, est ab eis realiter distincta; quia causa est, ad cujus esse sequitur aliud, vel quæ influit *in aliud*; per quam particulam significatur effectum alietatem in natura importare debere a sua causa... Sed entitas compositi substantialis est realiter causata a materia et forma, sicut a causis intrinsicis... Ergo» (2).

Verum in primis tum hæc objectio tum aliæ similes possent in adversarios retorqueri in toto integrali et in toto

Utrum saltem
per rationem
distinguitur
totum
a partibus.

(1) Lossada, *Physic.*, tract. 1, disp. 7, cap. 1, n. 20.

(2) Ita Mastroius, loc. cit., art. 1, n. 154.

substantiali. Etenim quemadmodum superius notavimus, omnes qui talia obijciunt, fatentur totum accidentale, seu quod est unum per accidens, non distingui a suis partibus, et multi concedunt idem quoque dicendum esse de toto substantiali integrali. Deinde directe

Resp. dist. Major.: distinctione adæquata vel saltem inadæquata, *conc.*; distinctione præcise adæquata, *neg.*, ut constat ex dictis in *Ontologia* (1).

Dist. etiam Minor.: Entitas compositi substantialis est realiter causata a materia et forma distributive ac seorsim sumptis, *conc.*; collective ac simul sumptis, *neg.* Tum *neg. conseq.* Partes distributive sumuntur, quando prædicatum aliquod verificatur de singulis seorsim: ut si dicas: *Partes omnes corporæ substantiæ sunt entitas aliqua substantialis.* Cognoscitur autem sensus distributivus per resolutionem suppositionis secundum regulas, quæ in *Logica Minori* traditæ sunt (2). Si enim propositio talis est, ut enumerari possint singulæ partes subjecti, ac de iisdem singillatim enuntiarı vere prædicatum, sensus ac suppositio distributiva est, ut patet in allato exemplo; nam et materia est entitas substantialis, et forma. Partes sumuntur collective, quando prædicatum verificatur de illis non seorsim, sed simul acceptis: ut cum sic enuntiat: *Apostoli sunt duodecim*, nam singuli certe non sunt duodecim, sed universi collecti: quare ex modo, quo resolvi logice potest suppositio, facile cognoscitur sensus collectivus. In objecta ergo propositione minori, cum enuntiabatur partes causare compositi substantialis entitatem, partes sumuntur distributive, non autem collective. Nam et de materia verum est, quod causet entitatem compositi substantialis, et similiter de forma: non autem verum est, quod et materia et forma unite et collective sumptæ causent entitatem compositi substantialis, quia ipsa complexio materiæ ac formæ unitarum formaliter constituit compositum, seu est ipsum substantiale compositum; verum autem non est, quod substantiale compositum *causet* totum. Sunt etiam, qui concedant partes *causare* totum causalitate

(1) Vide num. 384, pag. 1094.

(2) Vide *Logic. Minor.* n. 60, 61, pag. 194, 195.

intrinsicæ et constituente ipsum totum: et propterea necesse non esse, ut a toto distinguantur entitative ut a causato, quia non causant per effectonem, sed per mutuam sui communicationem (1).

Instabis. «Materia et forma non sunt integra causa compositi substantialis, nisi ut unitæ et collective seu copulatim sumptæ. Ergo non est collectio, quæ causatur, aut partes sub collectione, sed alia tertia entitas, quæ partes includat cum collectione. Probatur assumptum; nam partes unitæ, sed singillatim sumptæ, non sunt causæ compositi nisi partiales, et collective sumptæ integrant unam causam totalem. Ergo compositum cum sit effectus causatus ab eis collective sumptis, erit quid realiter distinctum ab ipsis etiam collective sumptis» (2).

Resp. 1.^o retorquendo argumentum in adversarios in toto integrali et accidentali seu incomposito ex substantia et accidenti.—*Resp. 2.^o* *neg. antec. et conseq.* «Quia causa intrinsicæ idem sonat, ac pars componens: ideoque sicut implicat in terminis pars totalis seu pars adæquata, cum conceptus partis sit impræcindibilis a partialitate et inadæquatione; ita in terminis implicat causa intrinsicæ totalis sive adæquata ob eandem rationem. Poterunt quidem materia et forma unaquæque vocari causa intrinsicæ in suo genere adæquata, id est unica, materia quidem in genere subjecti et forma in genere causæ formalis; quod pariter locum habet in munere partis, quia utralibet est pars adæquata, id est unica, in suo genere, forma quidem in genere partis formalis, et materia in genere partis materialis. Cæterum in ratione causæ intrinsicæ absolute dictæ, prorsus implicat causa totalis vel adæquata. Nec valet exemplum causæ efficientis; quia hæc non dicit ex conceptu suo inadæquationem; nec est ratio, cur nomen ejus verificetur potius de singulis causis partialibus, quam de collectione omnium, cum ista collectio realiter distinguatur ab effectu suo, et extra illum maneat» (3).

(1) Vide Joann. a S. Thoma (loc. cit., *Ad primum fundamentum...*), Mayr. (loc. cit. n. 655).

(2) Ita iterum Mairius, loc. cit. num. 156. *Ex alio igitur capite.*

(3) Lossada, loc. cit. cap. 2, n. 13. Cfr. n. 16.

Si autem mavis dicere cum aliis, ut notavi in fine responsionis ad præcedentem difficultatem, materiam et formam etiam unitas et collective sumptas *causare* totum; instantia hæc locum non habet.

Objic. 2.^o Homo per generationem accipit aliquod esse simpliciter, illudque per corruptionem amittit. Atqui esse istud nec est esse materiæ, nec esse animæ rationalis, quippe quæ non generantur, sed creantur, nec proinde corrumpuntur; neque item esse unionis, tum quia unio partium non est nisi respectus vel relatio; tum quia unio licet extrinsece sit substantialis, in sua tamen entitate et intrinsece accidentalis est; tum demum quia esse unionis non potest esse terminus generationis *ut quod*, sed tantum *ut quo* (1).

Resp. conc. Major., dist. Minor. Illud esse simpliciter nec est esse materiæ, nec esse formæ, nec esse unionis seorsim ac distributive sumptum, *conc.*, collective sumptum, *neg.* Quia est ipsum esse compositi, seu esse hominis. «Quamvis enim sola unio sit generationis terminus formalis, homo tamen in esse totius vere est terminus denominationis, qui scilicet physice seu cum proprietate physica denominatur *generatus*; quia per generationem ultimo efficienter determinatur ad existendum simpliciter, cum determinetur ad habendum omnes suas partes, id est non solum unionem, sed etiam materiam et animam; has quippe non habet homo ut partes sui, donec existat unio, quæ et seipsa componit hominem, et reddit materiam et animam actualiter componentes. Et hæc est ratio, cur homo potius dicatur genitus a generatione unionis, quam creatus a creatione animæ. Similiter per corruptionem unionis determinatur homo ad amittendum suum esse simpliciter, quia determinatur ad non habendum ullam sui partem; jam enim anima et materia non sunt partes actuales hominis, et idcirco vere denominatur homo physice *corruptus*. Materia igitur et anima rationalis non corrumpuntur, nec generantur distributive sumptæ, nec per modum termini formalis; bene tamen collective sumptæ cum unione, per modum termini denominationis (2).

(1) Mastrius, loc. cit. n. 157. Cfr. Lossada, loc. cit. n. 17.

(2) Lossada, loc. cit. n. 18.

Unde etiam concidunt probationes a Mastrio ex Bassolis allatæ in proposita objectione ad probandum, quod esse unionis nequeat esse terminus generationis. Prima falsum continet, unio enim quamvis transcendentalem relationem importet, fundetque relationem prædicamentalem, qua materia et forma invicem referuntur, non est tamen pura relatio. Secunda etiam falsa est, quia jam probavimus unionem materiæ et formæ esse modum substantialem. Quod denique tertiam spectat, explicatum manet, quomodo esse unionis sit, vel non sit terminus generationis.

Objic. 3.^o Si totum substantiale non distinguitur a partium collectione, non erit unum per se, sed per accidens; erit enim plura simpliciter et unum secundum quid, nempe secundum unionem (1).—Resp. *neg.* assert. et probat., jam enim in superioribus ostensum est, quomodo ex materia et forma, tamquam ex potentia et actu physice unitis, unum per se ac simpliciter existat. Compositum porro dicitur unum non solum secundum unionem, sed secundum totam suam essentiam. Unum enim, quemadmodum in *Ontologia* (2) notatum reliquimus, non importat formaliter negationem divisionis, sed simul entitatem positivam; atque adeo formaliter significat *ens indivisum*. Quapropter compositum substantiale unum involvit entitatem indivisam, nempe materiam et formam indivisas non solum inter se, sed etiam in semetipsis. Et sic unitas hominis non provenit a sola unione modali animæ ac materiæ, sed insuper ab ipsa entitate ac simplicitate animæ, et ab unitate materiæ.

Objic. 4.^o Ea distinguuntur realiter, de quibus prædicata diversa reipsa verificantur. Atqui de partibus etiam unitis ac de toto composito verificantur prædicata diversa. Etenim compositum continet, et includit partes, easque unitas, iisdemque constituitur; partes autem unitæ e converso sunt inclusæ et contentæ, et constituunt compositum: item compositum est unum, partes vero sunt unitæ: compositum agit, et accidentia recipit *ut quod*, partes autem nequam.

(1) Apud Lossada, *ibid.* n. 21.

(2) Num. 78, 79, pag. 229, 230.

Resp. *dist. Minor.* De partibus distributive sumptis verificantur prædicata diversa, *conc.*; de partibus collective sumptis, *neg.*, nam partes collective sumptæ non distinguuntur a composito, nec proinde diversa suscipiunt prædicata.

Instabis 1.^o Non recte dicitur, quod partes unitæ constant ex partibus unitis. Atqui e converso recte dicitur compositum constare ex partibus unitis. Ergo partes unitæ nullatenus sunt ipsum compositum. Similiter partes non prædicantur de toto, neque totum proprie prædicatur de partibus, sive divisim sive conjunctum sumptis (1).—

Resp. Hæc et alia similia solum ostendunt compositum a partibus penes modum concipiendi ac significandi discriminari. Ratio vero, cur neque partes simul sumptæ prædicentur de toto, neque vicissim, est quia ad prædicationem non sufficit identitas realis, sed attendendus est modus significandi, cujus solius diversitas satis est, ut unum nequeat de alio prædicari. Cum ergo partes physicae non significantur per modum totius, sicut significantur partes metaphysicae, puta ratio generis et differentia, nihil mirum quod non prædicentur de toto; cum potissimum in toto substantiali possit esse aliquid aliud præter ipsas partes substantiales unitas, nempe accidentia et ratio suppositi.

Instabis 2.^o Quod est plura, non est unum. Atqui partes etiam unitæ revera sunt plures, compositum autem unum. Ergo partes etiam unitæ a toto composito distinguuntur.

Resp. Partes unitæ non sunt plura entia, sed unum ens resultans ex distinctis componentibus; et similiter compositum est unum, non autem unum per simplicitatem, seu indivisibile, sed unum per compositionem, atque adeo divisibile et coalescens ex pluribus distinctis partibus. Verbo partes unitæ, quamvis distinctæ, sunt unum simpliciter et actu, et plura tantum secundum quid et potentia; et eodem pacto compositum.

Objic. 5.^o Aristoteles scribit *sex* non esse *bis tria*, sed *semel sex* (2); itemque syllabam *ba* non esse *b* et *a*, sed

(1) Cfr. S. Thom., 4.^o dist. 16, quæst. 1, art. 1, solut. 3.^a ad 2.^{am}
(2) *Metaph.*, lib. 5, text. 19.

aliquid aliud (1); et totum quod non est mere coacervatum, esse aliquid aliud præter partes (2). Denique substantiam dividit in materiam, formam et compositum. Nomine autem compositi profecto nequit intelligere materiam et formam, secus enim divisio foret nugatoria; nec unionem, quia sic per vocem compositum significaret aliquid materia et forma imperfectius. Ergo aliquid aliud intelligit (3).

Resp. Primum et alterum Philosophi testimonium adversariis ipsis solvendum esse, quippe qui negant in composito accidentali totum a partibus simul sumptis distingui. nam et senarius et syllabæ illæ sunt composita accidentalia. Cæterum facilis est utriusque testimonii explicatio. *Sex* ideo dici possunt non esse formaliter *bis tria*, vel quia *bis tria* sumuntur divisim, non copulativim, vel quia senarius importat continuatam unionem seu coordinationem sex unitatum, quam non important duo ternarii: unde jam adest aliqua distinctio inadæquata, nempe ratione unionis. Atque idem dicatur de syllabæ *ba*, quæ pariter inadæquate distinguitur a litteris *b* et *a* tum singulatim sumptis, tum ratione conjunctionis et ordinis in proferendo aut scribendo. Quod tertium testimonium Aristotelis attinet, totum non mere coacervatum recte dicitur aliquid aliud præter partes, quia totum ejusmodi partibus addit unionem physicam vel naturalem, quam non habent partes mere acervatæ. Denique postremum, quod objiciebatur ex eodem Philosopho, nihil evincit. Dividendo enim substantiam in materiam, formam et compositum, nomine *compositi* significavit, non solam materiam, nec solam formam, nec unionem solam, sed tres hasce realitates collective sumptas; quare tertium membrum Aristotelicæ divisionis inadæquate distinguitur a duobus prioribus; divisio vera illa ideo recta est, quia et materia et formæ et composito ex utraque ratio substantiæ aliquo modo convenit (4).

(1) *Metaph.*, lib. 7, fin.

(2) *Metaph.*, lib. 8, text. 15.

(3) Vide Mastrium (loc. cit., n. 161), Lossada (loc. cit., n. 17, *Confrim.* 2).

(4) Vide Lossada, loc. cit., n. 19.